



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

7. An & quibus casibus sacrificium Missae interrumpere vel imperfectum
relinquere licitum sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

19 Sacra vasa, in quibus continetur corpus Christi, tangere Laico est mortale; si vacua est, veniale, si contemptus absit, etiam in sanctimonialibus corporalia & purificatoria prius leuiter lauari debent à Diacono antequam sanctimonialibus aut virginibus dantur iterum lauanda.

NB. In Minoribus ordinibus constituti non audent attingere sacra vasa, propter praxin Ecclesiarum & communem DD. sententiam.

20 Vestes & Pallas benedictas, quæ nec chrismate unctæ sunt, neque sacrum Christi corpus immediate contingunt cum reuerentia etiam laicis contingere permissum est. Lacerata tamen & vetustate absumpta igni debent absumi, & non ad profanos vsus adhiberi.

21 Sacras reliquias cum reuerentia tangere laicis non est licitum.

22 Decens est, vt sacrae pixides & ciboria benedicantur, quamuis id non in omnibus Ecclesiis vsitatum sit.

C A P. VII.

An e quibus casibus sacrificium missæ interrumpere vel imperfectum relinquere licitum sit.

1 **N**Unquam licitum est directa intentione accedere ad consecrandum solum panem sine consecratione vini; Est enim contra Christi institutionem, sacrificium mutilum reddere, vnde sacrilegium. Quod si tamen in aliquo casu hostes heretici ingruant ad occidendum sacrificantem in altari, potest is hostiam iam consecratam statim sumere, si ad con-

ad consecrandum calicem sine euidenti mortis periculo pergere non possit, quia tunc directe & ex proposito non mutilat sacrificium, sed permittit eius imperfectionem, seu omittit illud perficere, cum præceptum affirmatiuum in tali casu necessitatis nõ obliget. Sumptio etiam est de essentia sacrificii, unde non intermittenda.

Sacrificium cæptum interrumpere non est licitum nisi in quibusdam casibus. Primò, Sacerdos recordetur se ieiunium non esse ante canonem aut irrog. aut excom. Secundò, si excommunicatus non toleratus missæ interesse præsumat, qui expelli nequeat. Tertiò, si morbus cogat sacrificium interrumpere, vel alia grauis necessitas, quo casu si consecratio facta fuit, debet alius sacerdos substitui, si prior redire, & sacrificium persequi non possit. Et si sacerdos ieiunus haberi non possit, debet perfici à non ieiuno, eò quòd maius sit præceptum de sacrificio non relinquendo imperfecto, quàm præceptum de sacrificando & communicando ieiuno. Quod si sacerdos ante canonem deficiat, non est necesse, vt alius accedat. Quartò, ob magnam proximi necessitatem, putà si alicui morti proximo sacramentum sit ministrandum, etiam post consecrationem, maxime pœnitentiæ: sed sacerdos debet se quam citissimè expedire & ad sacrificium perficiendum redire, quod etiam obseruandum quoad sacrâ vñctionem si aliud sacramentũ accipere non potest. Si sacerdos post consecrationem aduertat, aquam pro vino appositam fuisse, potest occulte aliud vinum apponere & consecrare, sine noua panis consecratione.